

CAPITIS XXIX.

Argumentum, Vfus, Partitio, Analysis.

Precedente capite exposita sunt, qua Iacobo in itinere Harenfi acciderunt. Sequenti exponitur, quomodo in Haran venerit, & quomodo à Labane auunculo exceptus, pro seruitute quatuordecim annorum duas eius filias vxores acceperit: de quatuor filiis ex Lea procreatis. Quae historia in thesi illustrat admirabilem Dei prouidentiam, qua curat & dirigit gressus piorum in exilio peregrinantium, vt omnia seruiant eorum votis & saluti: In hypothesei praclare confirmat promissionis diuinae, & benedictionis paternae veritatem. Nam Deus ostendit, se adesse Iacobo, recta eum ducens ad pastores Labanis, educens ei obuiam Rachelem futuram coniugem, & exuli in domo futuri soceri hospitium atque seruitutem parans, necnon coniugio eius iuxta promissionem multa prole benedicens. Illustrat etiam doctrinam de officiis & seruitutibus economicis atque politicis, quod placeant Deo, & à pijs suscipi possint. Continet denique vtilem commonefactionem de iustitia & aequitate in contractibus seruanda: necnon grauem questionem de polygamia.

Partes capituli constituo quatuor.

1. De aduentu Iacobi in Mesopotamiam ad Labanem auunculum, vsque ad vers. 15.
2. De seruitute Iacobi apud eundem, vsque ad vers. 21.
3. De coniugio eius cum Lea & Rachele, vsque ad vers. 31.
4. De liberis ex Lea susceptis: inde vsque ad finem.

Singulas rursus digero in suas circumstantias.

In prima parte erit, 1. Profectio Iacobi, vers. 1.

2. Colloquium cum pastoribus Carrensibus, versibus sequentibus septem.
3. Occursus Rachelis, vers. 9.
4. Officiositas & seruitus Iacobi erga Rachelem, versibus tribus seqq.
5. Humanitas Labanis erga Iacobum, vers. 13. 14.

In secunda erit, 1. Pactio cum Labane de seruitute & mercede, vers. 15. 18. 19.

2. Descriptio filiarum duarum Labanis, vers. 16. 17.
3. Seruitium & amor Iacobi, vers. 20.

In tertia. 1. Iacob postulabit coniugem seruitutis mercedem, vers. 21.

2. Erit fraus Labanis supponentis vnam pro altera, versibus tribus seqq.
3. Expostulatio Iacobi, & Labanis excusatio, vers. 26.
4. Natiuitas quatuor filiorum, Ruben, Simeon, Leui, Iuda.

PRIMA PARS CAPITIS.

Iacobi aduentus in Haran.

1. Leuauit itaque Iacob pedes suos, & perrexit in terram Orientalium.
2. Et vidit, & ecce puteus erat in agro: ecce quoque illic tres greges ouium accubantes iuxta eum: nam ex puteo illo potum dabant gregibus: & lapis magnus erat super os putei.
3. Congregabantur autem omnes greges, & deuoluebant lapidem de ore putei, & potum dabant pecudibus: deinde reducebant super os putei in locum suum.
4. Dixitque ad eos Iacob: Fratres mei, vndenam estis? Qui responderunt: De Haran nos sumus.
5. Et dixit ad eos: Nouistisne Laban filium Nachor? Qui responderunt: Nouimus.
6. Et dixit ad eos: Nunquid est pax ei? Qui responderunt: Pax. Et ecce Rachel filia eius venit cum grege.

7 Dixitque: